

matu, quia ista veritas habere eum sufficienter, etiam hoc decretum non esset presens, sed tantum conditionaliter futurum etiam ex parte actus, non minus enim verum est, quod si Paulus vocaretur, consentiret, si prius Dei voluntas actu prae-determinet, Paulum consentire, & deinde intellectus illud videat, quam si absque ullo actuali voluntatis opere intellectus tantum videt, quod si Paulus vocaretur, & Deus vellet illum prae-determinare ad consensum, consentiret; sicut enim ad scientiam illius consensus sub conditione futuri facti est scire quod si voluntas vellet vocare, ita etiam, quod voluntas vellet prae-determinare; ergo praedicta veritas non est necessaria ratio multiplicandi in re ipsa infinitas infinitas actus liberos divini voluntatis circa infinitas infinitas combinationes, quae fieri possunt de futuris contingebus conditionatis.

264. Respon. argumentum retorqueri posse contra futura conditionata in materia disparata, pro quorum veritate admittit Paulus decretum in actu ante scientia conditionatam, ut notatum est supra n. 243. 247. & 248. cum igitur Deus pro veritate illius conditionatis disparatae 4. Re. 1. si percussisses quinquies haberet decretum conditionatum actu positum ante scientia conditionatam, & sine ulla superfluitate, ociositate, & puerilitate ut concedit arguens, etiam si certo sciret, Deus, se neque rem, id est Syriae consumptionem, neque conditionem id est, quinquies percussioem unquam voluisset, ita pariter nos dicimus in proposito de ceteris futuris conditionatis etiam in materia ordinata; & rursus loc. cit. ostensum est, divinum providentiam alios quoque habere fines in decretis conditionatis praeter eorum veritatem, ad eum sine recursum ad hoc caput, adhuc dici debeant utilia, imo necessaria ad infinitam perfectionem divinae providentiae, non autem ociosa, & superflua. Adhuc tamen immerito hoc caput reicitur ab arguente, quia ut ostendi supra quae. praeced. n. 132. etiam in principis Adversarii magis desideraret divinum decretum pro certa cognitione futurorum conditionatorum, quam absolutorum, ob rationem ibi adductam, tum quia haec propositio, voluntas creata, si unquam esset ex se, hoc vellet sub conditione, praevia divinae voluntatis determinatione est falsa, quia causa se cuncta nihil potest velle, nec ullam suam inclinationem ostendere independentem a prima, & ideo pro certa veritate futuri quoque conditionati ultra determinationem causae scilicet necessarii quoque ad determinationem primam recurrendum est, non quidem antecedentem, & praedeterminantem, sed concomitantem; & a tali determinatione sumenda est infallibilitas eventus conditionati, cum non spectet ad praecognita, sed ad requisita, & concomitantia actionem ipsam, ideo non tollit potentiam proximam ad non agendum in actu primo, ut dictum est n. 223. unde cum talis infallibilitas ex suppositione concomitantium ducatur, non autem antecedentium, solum inducit consequentem necessitatem, non consequentis, & infallibilitas eventus stat cum infallibilitate potentiae, id est, cum libertate, & proxima potestate ad oppositum, qualis requiritur ad usum libertatis. Ad Con. negatur assumptum, cum eius probatione, etenim illa prior propositio, si Paulus vocaretur, consentiret, si Deus determinet ipsum fore consenturum dependentem ab ea conditione, est vera in sensu conditionali; at posterior propositio si Paulus vocaretur, & Deus vellet illum prae-determinare ad consensum, consentiret, est utriusque vera, sed non sub ratione propositionis conditionalis, quia conditio hoc modo nihil ponit ex parte objecti scilicet, quantum ad eius functionem determinatam, sed, quod sic procurrat ex parte objecti, est merè possibile, ut supra notavi n. 207. & 241. quod est maxime ad vertendum in hac materia, quia ex hoc puncto maxima ex parte oritur Adversariorum deceptio

265. Arriaga disp. 11. sect. 3. n. 17. & 18. arguit ad idem, inam incredibile videretur, Deum de facto habere omnia decreta conditionata, quae potest habere in omni rerum serie possibili v. g. jam decessisse, si alium mundum ego voluisset creare, volo jam ut in eo fuissent tot solia, tot pulices, tot guttae aquae, &c. Si vero alia esset series, volo jam ut nunc essent tot, &c. & sic discurrendo per infinitas infinitas combinationes rerum, imaginabiles, quis autem non iudicet merito, absurdum esse eas volitiones omnes de facto in Deo ponere? Con. quia repugnant omnia ista decreta simul, multa enim ex illis sunt inter se contraria, poterat enim Deus in illa eadem serie velle hoc, vel velle contradictorium v. g. si existeret Petrus, poterat Deus illum vocare velle, poterat nolle vocare, non potest autem utrumque simul velle; at de facto non solum novit, quid facturus esset Petrus, si illum vocaret, sed quid, si non vocaret, quia sub utraque conditione est, aliquid futuri; ergo non potest utrumque nocere in eis decretis actu existentibus, non enim Deus de facto habere potest, Volo, & Nolo vocare Petrum; ergo quando noscitur, quid ille fecisset, si voluisset Deus, & quid, si Deus noluisse, non cognoscitur id in ea volitione,

aut volitione actu existente; ergo in ipso actu futuro Petri, & sic dicendum de ceteris omnibus futuris conditionatis. Deum si ex voluntate efficaci, quam de facto Deum dicimus habere, proveniat v. g. Tyrus, & Sidonius essent convertendi, si ea signa facta fuissent in illis, quae in Bethsaida, scilicet Christo argenti respondissent Bethsaida, cur nos reprehendis? habes voluntatem efficacem de nostra salute, & tunc converteretur, sicut, & Tyrus.

Respondeo, non magis absurdum, & incredibile esse, quod omnes ille volitiones conditionate respectu futurorum conditionatorum in quacunque rerum serie possibili reperiantur de facto in divina voluntate, quam quod omnes eorum cognitiones reperiantur in divino intellectu, ut v. g. quod cognoscat, si alium mundum creasset, quor arborum folia, quor pulices, quor guttae fuissent; quare cum has concedat de facto Adversarii in Deo absque ullo absurdo, sic etiam concedere possunt, & il-las, sicut enim illud requiritur ad infinitam Dei scientiam, ita, & hoc ad infinitam Dei providentiam, & sicut in eis omnibus cognoscendis non fatigatur divinus intellectus, ita neque in iisdem volendis fatigatur divina voluntas. Ad Con. replico ex dictis n. 256. distinguenda omnino esse decreta conditionatis v. g. vocationis Petri, & decretum in effectu ex illa futuri, ac connexionis cum ipsa; hoc est, quod dicimus de effectu, non vero in actu praesens ex parte actus, non autem illud, & in hoc dicimus cognosci futuritionem conditionatam effectus, non vero in illo, unde dum Deus de facto cognoscit, quid faceret Petrus, si in tali occasione vocaretur, & quid si non vocaretur, utique non cognoscit utrumque per actus illos, Volo, & Nolo vocare Petrum, non enim haec sunt decreta, quae dicimus esse debere praesentia, & actu posita, cum enim ex parte conditionis se teneant, & non effectus futuri, sufficit, quod si sine futura sub conditione explicata per particula si vocaretur, vel non vocaretur Petrus, sed utrumque, cognoscit per alias duas volitiones actu existentem, & respicientes effectus sub illis contrariis conditionibus futuros, ut v. g. Volo, Petrum consenturum, si vocetur; Nolo, Petrum consenturum, si non vocetur, quae duo decreta non sunt inter se contraria, licet illa duo sint contraria, Volo Petrum vocare, Nolo Petrum vocare, & quae si quae liquet, in argumento manifestam committi fallaciam, cum loquatur de decreto conditionatis, quod omnes fatemur debere esse futurum sub conditione, a qua immediate afficitur, & quae sit de decreto effectus ex illa conditione secutus, quod dicimus debere esse actu praesens, ut futurum conditionatum habeat determinationem in suo genere certo cognoscibilem. Ad ultimum dicimus, hominis conversionem, licet principaliter pendeat a voluntate efficaci Dei, non tamen praesens, quae etiam non dependet ab hominis consensu, & ideo merito Bethsaida reprobatur a Christo, illa etiam voluntas couvertendi Tyrion non fuit simpliciter, & absolute efficax, sed tantum efficax, & perfecta in suo genere, nimirum in genere volutatis conditionatae, quatenus vi illius, si poneretur conditio, efficax esset, & infallibiliter poneretur effectus, ut explicatum est num. 260. Adverte tamen, decreta conditionata gratis admitti ab Arriaga circa objecta existentia disp. 25. sec. 2. num. 13. ut referam disp. 4. num. 103.

Denique ad idem urgent alii, quod huiusmodi decreta conditionata sunt quaedam volentates, volentias autem repugnat Deo, cum sit quiddam actus imperfectus, non ergo sunt in Deo concedenda. Respondeo proprie loquendo decreta conditionata volentates dici non posse, quae solent explicari per verbum *velletis*, sed sunt voluntas absoluta, & actualis ex parte subjecti, & tantum conditionata ex parte objecti, & licet per comparationem ad decreta absoluta dici soleant volentates, hoc tamen dicitur abiq; ulla imperfectione in Deo, quia licet volentias ex impotentia proveniens imperfectionem dicat, sitq; Deo repugnans, tamen quae provenit ex infinito ordine divinae providentiae, ac summa eius libertate, ac liberalitate, nec dicit imperfectionem, nec Deo repugnat ex dictis supra n. 260.

OBJECTIO QUARTA.

Ex communi modo loquendi Theologorum. Quartio obijciunt ex communi modo loquendi Theologorum, nam Primum quidem dicunt, Deum sine re liberum arbitrium agere motus suos, quod non esset, nisi in determinando concursum suum respiciat determinationem creatae voluntatis illi se accommodando, atque ideo illum supponat in praesentia ante suum decretum. Secundum dicunt, Deum quando concurrat cum causa libera, habere concursum, etiam parati ad oppositum, id est ad actum, quem non facit; hoc autem aliud non est, quam Deum absolute fuisset decretum concurrende ad talem actum, si praeviderit, nostrum arbitrio se de determinatum ad oppositum actum. Tertio ajunt, causam primam cum

eum secunda concurrere ex certa intentione, non temere, & casu, hoc autem facere nequit, nisi praesciat concursum illius, ad quem dicitur, & ordinat concursum suum. Quarto causa prima concursus determinari a causa secunda quoad exercitium & specificationem actus liberi, quod utique non esset, nisi illa supponeret determinationem illius in praesentia, non enim posset Deus suum concursum accommodare determinationi causae secunda, nisi illum praevideret. Quinto Deum praescire actus nostros liberos in determinatione suae voluntatis scientia absoluta, & visionis absque laesione libertatis nostrae, quod plane esse nequit, nisi decretum divinum absolutum supponat in praesentia conditionata determinationem nostrae voluntatis. Sexto Deum permittive se habere ad actum peccati, quod aliter esse non potest, nisi quia ad illum nos non determinat, sed permittit, se contra determinari a nobis; atque ita ante voluntate permittiva praeter nostrum arbitrio propterea determinationem.

269. Resp. ex dictis quae. praec. ar. 8. satis servari libertatem nostram, si Deus non praedeterminat illam antecedenter ad actus in tempore voluntas, sed cum voluntate nostra concomitanter tantum eos decretum, ac condecernitur, hoc enim modo decernendo ab aeterno, & concurrendo in tempore se se illi accommodat, ac permittit eam agere motus suos, & etiam si eos non praevideat ante concomitantem decretum, quatenus voluntatem nostram continet eminenter juxta quamcunque ejus inclinationem, & modum agendi, ratione ejus continentiae in decernendo ab aeterno coincideret post in eandem omnino volitionem cum ea, perinde ac ejus determinationem praevideret. Ad 2. negatur minor, ex hoc enim, quod Deus concursus habeat paratum in actu primo, id est, quod ejus voluntas sit parata exhibere in actu secundo causa libera, concursus actualis ad hanc, vel illa partem juxta ejus inclinationem, vel placitum determinatum, inferri non debet, quod ante decretum de exhibitione actualis concursus ad hanc partem, vel illa determinati, praeviderit nostrae voluntatis inclinationem, quia sine actuali Dei determinatione non potest voluntas nostra se ad ullam partem determinare ob essentiali subordinacionem causae secunda ad primam; sed ratur inferri debet, quod in determinandis actibus ab ea futuris, non praedeterminat eam, nec minus illos determinat antecedenter, sed merè concomitantem eam ex juxta ejus inclinationem, perinde ac si eam praeviderit, quod continentiam eminentialem creatae voluntatis in divina fecerit omnem ejus inclinationem ac agendi modum. Ad 3. negatur minor, ut enim causa prima per se, & ex intentione, non autem causa, & fortuito concurret cum secunda, & contra, opus non est, quod una praevideat alterius determinationem, alia causa secunda nunquam ex intentione concurreret cum causa prima, cum ejus determinationem non praesciat ante executionem; ut ergo ex certa intentione invicem concurrant, & simul condecernent eundem effectum, sufficit, quod utraq; cognoscat sui operis finem, & quid ad ejus consecutionem requiratur, & quod prima continentiae inferiorum secundum omnem ejus indifferenter, ac agendi modum eminenter, & virtualiter, nam ex tali continentia habet, unde per se, & ex intentione coincideret post in eandem propositum volitionem cum ea, perinde ac eam praevideret, supposita generali lege, quod velit causas liberas finire, ut agant motus suos, ut dictum est n. 186. ad 4. & 191. ad 3.

Ad 4. falsum est antecedens, nempe concursum primae causae determinari a secunda, ut dixi d. 3. Phys. q. 4. a. 2. n. 6. 1. neque illud asseritur ab omnibus Theologis, sed solum ab Adversariis, non ergo causa secunda determinat primam, quia hoc nimis vilificaret concursum primae causae, sed utraq; determinat, & utraq; determinat actionem; neque concursus Dei exhibitus in actu secundo ad hunc determinatum effectum in specie, & in individuo, indifferens est, indeterminat, & confusus, imo determinatus in specie, & in individuo, sicut, n. agens creatum liberi operis determinat partem eorum conditionis operatur cum ex clusione alterius, ita indiget determinato Dei influxu ad unam partem cum exclusione alterius. Unde causa naturalis, & libera in modo habendi concursum Dei, non discriminatur quoad concursum Dei exhibitum, & in actu secundo, quia sicut utraq; agens actum determinat cum exclusione oppositi, ita ambae indigent concursu Dei exhibito determinato ad unam partem cum exclusione alterius, sed discriminatur quoad concursum Dei illius partem ad unam partem tantum cum liberis vero partem ad utramlibet, solum ergo concedi potest, concursus primae causae determinari a secunda, quatenus partem latius ratio effectus semper causae particulari ad scribitur non autem universalis, quae ad omnes propositus concurrat; dicitur autem concursus suum accommodare determinationi causae secunda, non quae illum praevideat, sed quatenus ob eminentialem continentiam ejus in modo agendi tum in determinando actum, tum concurrendo ad oppositum actum.

Maffrii sent. Tom. I.

currendo ad illum in eundem propositu incidit, quem se sola eliceret creatae voluntas, si se sola operari posset, & sola se ipsam determinare, non fecus, ac praevideret illum. Ad quintum nego minorem, nam adhuc bene salvatur nostra libertas, si decretum Dei absolutum ponatur eorum concomitantem determinationem nostrae voluntatis, & non propositum antecedens ad praedeterminans. Ad 6. negatur minor, non enim dicitur, Deus permittive se habere respectu actus peccaminosi, quia in sua praesentia quasi expectet determinationem voluntatis nostrae ad illum, antequam ipse decreverit ad eundem concurrere, sed quia illum non praesentit qua talem, nec approbat, sicut praesentit, & approbat actus bonos, ut dictum est n. 258. & d. seq. ex infinitis dicemus.

OBJECTIO QUINTA.

Ex veritate objecti conditionati.

271. Quinto arguitur ex eo, quod haec futura conditionata sint determinate vera ante quodcumque decretum divinae voluntatis, etiam conditionatum, ac per consequens certo cognoscibilia a divino intellectu; nam ante quodcumque decretum habent determinationem futurationem; ergo & determinatam veritatem; probatur assumptum, ut aliquid sit determinate futurum sufficit, quod in aliqua duratione subsequenti sit praesens, eo enim ipso in omni duratione antecedente est determinate futurum; sed haec futura conditionata, si conditiones ponantur in esse, erunt in aliqua duratione praesentia, ergo in omni alia antecedente erant futura determinate ante quodcumque decretum. Tum 2. quia concursus creatae voluntatis ad effectum est utique aliquo modo distinctus a concursu Dei, & in quantum est concursus arbitrii creati, non pendet a Deo; ergo neque a determinatione divinae voluntatis, neque ideo ante illam verum, & scibile est, quid futurum esset de concursu, & determinatione creatae voluntatis ad suum actum, si haec, vel illa conditiones poneretur. Tum 3. quod haec, vel illa conditione posita voluntas, magis quantum est sua parte, sit hoc, vel illud voluita, aut non voluita, est verè precisa omni voluntatis divinae determinatione; ergo & a Deo factum ante quodcumque decretum; assumptum patet ex lege contradictoria, quod altera sit determinate vera, altera falsa, quia inter contradictoria nequit dari medium. Tum tandem, quia si propositiones illae sunt verae, vel falsa determinate post decretum divinae voluntatis, etiam ante illud erunt eodem modo verae, vel falsa, quia quod semel est verum, semper ante verum fuit p. de Interpret. cap. ult.

272. Resp. negando assumptum, ad cuius probationem negatur major, etenim ad hoc, ut aliquid sit determinate futurum etiam conditionate, non sufficit, quod in duratione subsequenti sit praesens, sed praeter hoc requiritur, ut ab aliqua causa extrinseca habeat determinationem suam futurationem, ut dictum est supra n. 105. & n. 136. alia patet ante decretum absolute, etiam absolute futura essent determinate futura, quod nequid Adversarii concedunt, posset etiam negari minor, quia si conditio nunquam ponitur in esse, nunquam erunt in aliqua duratione praesentia futura conditionata, unde falsum est, quod ex alia praesentia pendet eorum determinata futuratione, ut dictum est n. 131. & 132. Ad 2. nego antecedens, quoad secundam partem, enim enim concursus arbitrii nostri, etiam qua talis, sit aliquid reale creatum, neque esse ad concursus Dei independens, atque ideo nequit cognosci sine determinatione Dei, a qua dependet in esse. Ad 3. neque coeludit de futuris etiam absolute, quae tamen concedunt Adversarii, ante absolutum divinae voluntatis decretum veritatem non habere, quia propter ex dictis loc. cit. n. 136. negatur assumptum, & ad probationem dicendum, regulam Logicam valere de propositionibus in materia necessaria veritatem, vel falsitatem habentibus ex natura extremorum, non autem in materia contingenti, nisi post determinationem causae extrinsecae, a qua pendet earum determinata veritas, vel falsitas, & antequam sint indeterminate, & neutrae, unde in proposito sicut ista: arbitrium creatum, quantum est ex se, hoc vult sub conditione, sub conditione praesentia divinae voluntatis determinatione, est falsa, sic ejus contradictoria: arbitrium creatum, quantum est ex se, nihil voluit, sub conditione praesentia divinae voluntatis determinatione, est verum; Neque mireris, hanc secundam esse veram praesentio divinae voluntatis decreto, quia haec conditionalis non est contingens, sed necessaria, quia impossibile est arbitrium creatum aliquid velle determinate indeter-denter a Deo illud idem actu volente. Ad 4. propositio Arist. intelligenda est de ordine temporis, & durationis, non de signis naturae, aut rationis in indivisibili nunc eternitatis; aut absolute neganda est, nam haec propositio modo vera est, ego scribo, quae antea vera non erat, cum non scriberem.

Amicus sec. 12. n. 211. & inde, arguit ex eodem capite, & probat, Deum certo cognoscere sub conditione. quid re ipsa futurum esset purificata conditione, nam sicut Deus cognoscit futurum, antequam in seipso existat, ita cognoscere potest futurum sub conditione, antequam purificetur conditio, quia purificatio conditionis supponit id, quod erat futurum sub conditione; ergo illud poterat cognosci ante purificata conditionem; Resp. gratis concedendo futurum conditionatum cognosci ante decretum actuale conditionis, negamus tamen cognosci ante decretum actuale effectus ex ea conditione futuri, si poterat, primum probat duntaxat argumentum, non vero secundum, de quo tantum est questio. At inquit Amicus, neque requirit decretum de effectu sub conditione futuro actu existens, sed sufficere, quod sit conditionatum, tam ex parte actus quam ex parte objecti, nam ut cognoscatur effectus sub conditione futurus sufficit cognoscere id, quod causa ipsa faceret, si hic, & nunc cū his, vel illis auxiliis, & circumstantiis applicetur ad operandum, hoc autem non est necessarium decretum actu existens, sed tantum sub conditione previsum. Ratio in priori est, quia cum effectus non debeat praevideri, ut absolute futurus, sed tantum sub conditione futurus, non requirit causas, vel conditiones, à quibus pendet effectus, positas, sed tantum sub conditione ponendas, Resp. negando assumptum, ad cuius probationem concessa majori negatur minor ob rationes alias atq. preced. ad rationem vero, quia illam præterdit arguens probare à priori satisfactum est num. 242. & ostensum continere fallaciam.

Faber ex nostris 1. dist. 55. cap. 2. ad hoc idem argumentatur, sed valde implexè, & confusè, ab initio namque capituli proponit velle probare, quod Deus hæc futura conditionata cognoscit certo, & infallibiliter ante quocumq. decretum conditionatum actu positum de effectu conditionate futuro, & n. 27. in fine concludit, quod tale possibile futurum sub conditione, quod non erit, est scibile à Deo, licet non sit scibile certissime, nisi potest decretum sequens decretum enim ponitur, inquit non ut faciat scire, sed ut faciat scire certum, in aliter, quod cursum repetit sub n. 30. & denique n. 45. & in fine concludit, ex his hucusque patet, Deum cognoscere futura sub conditione, que tamen nunquam erunt certo, & infallibiliter, reliquū est, ut ostendamus, Deum ea cognoscere antecedenter ad decretum quocumq. conditionatum; in quo dicitur apparere manifesta contradictio, dum ait, Deum ante decretum conditionatum quocumque habere certam, & infallibilem notitiam futurorum conditionatorum, & deinde talem certam notitiam non haberi, nisi post decretum, quia decretum ponitur, ut faciat scire certum, in aliter; Sed quicquid sit de hoc, videamus modo, quomodo probet n. 46. Deum cognoscere futura conditionata antecedenter ad quocumq. decretum conditionatum; probat itaq. quia futura conditionata habent esse solum à conditione posita in esse, tanquam à causa, sive qua non à voluntate creata tanquam à causa proxima, & à concursu generali Dei, tanquam à causa prima, & non ab aliquo decreto conditionato; ergo Deus scit illa futura conditionata non dependent ab aliquo decreto conditionato; sed antecedenter ad illud; consequentia patet, quia sicut res se habet ad esse ita ad cognoscendum, assumptum probatur, ad hoc, ut creata voluntas ponat in esse futurum, quod pendet ex aliqua conditione, non est necesse, quod Deus decernat, quod adimpleta conditione, voluntas illud futurum ponat in esse, ut pura, quod si Tyrri, & Sidonii viderint miracula facta Judæis, consentiant in fidem Christi, sed voluntas ipsa posita conditione in esse, & instante concursu generali Dei potest se determinare ad actum consentiendi ab aliq. alio decreto Dei determinante voluntatem ad actum illum. Conf. eo modo cognoscit futura, que nunquam erunt, quomodo essent, si in aliqua differentia temporis ponerentur in esse; sed si futurum sub conditione poneretur in esse ut conversio Tyrionum per miracula eius facta, non poneretur in esse per decretum conditionatum, quo Deus decrevisset, factis illis miraculis Tyrionis debere converti, sed quia voluntates eorum excitat illis miraculis cum adiutorio Dei se determinarent ad consensum in fidem Christi; ergo non cognoscit illud dependenter ab aliquo decreto conditionato.

Respondendo negando assumptum, tanquam implicatorium, nam si futurum conditionatum habet esse à voluntate creata supposito concursu generali Dei, jam supponitur decretum conditionatum divine voluntatis, quod decrevit concurrere cum voluntate creata ad talem effectum, si talis conditio ponatur, & ad probationem ejusdem negatur iterum antecedens, ut implicatorium, pura quod non sit opus Deum decernere, quod adimpleta conditione voluntas ponat futurum illud in esse, cū instante concursu generali Dei posita conditione possit voluntas se determinare ad actum; implicat inquam, quia si se deter-

minat cum concursu generali Dei ad illum actum, jam supponitur decretum, quod decrevit concurrere cum ea posita conditione; licet falsò etiam dicat, Tyrion factis apud eos miraculis posse seipsum determinare ad actum fidei supernaturalis cum solo concursu generali Dei, quia ultra idem requiritur etiam auxilium speciale gratie præventivæ. Ad Conf. nego minorem quoad primam partem, nam ut constat ex dictis n. 262. si ponamus casum ab argente datum, quod possit miraculis Tyrri fuisse ad fidem convertendum, tunc tale futurum conditionatum ex positione conditionis statim haberet verum, ac reale esse absolute futurum, ac etiam præsens suo tempore determinatum, idque non ut decreti conditionis, neque alterius novi decreti, sed vi solius decreti prioris conditionati, quod in se prorsus immutatum, intellecta tantum mutatione conditionis transit de conditionatum in absolutum, & causæ esse absolutum in esse, unde, ut verum fatear, uto hunc Auctorem non satis percepisse statum hujus controversiæ, neque fundamentum nostræ nem oppositæ opinionis, quam ipse sequi consuevit; ait enim n. 47. totum fundamentum opinionis nostræ esse, quod voluntas esse se non se determinet, sed determinetur à Deo, & contra fundamentum opinionis suæ esse, quod non determinetur ab exteriori principio, sed à semetipsa; Sed plane aliud est querere, an divina voluntas determinet creatam ad aliquem effectum produendum, & aliud an determinet ipsum effectum ad produendum; hic controversia non est de primo puncto, sive enim voluntas debeat prædeterminari ad actum, ut inquit Thomista, sive non, certum est Deum decernere omnes effectus à voluntate creata futuros in tempore, sive hoc faciat antecedenter, ut voluit Thomista, sive concomitantem, & consequenter, ut alii, & talia decreta respectu futurorum absolute nemo negat, & conceduntur etiam ab Auctoribus suæ opinionis; qui etiam illa concedunt respectu futurorum conditionatorum, non quidem præcedentia scientiam conditionatam sed consequentia, ut notat Pasolus d. 14. n. 268. ubi ait, omnes suos concedere, ad veritatem, & scientiam cuiuslibet futuri conditionati effectus necessarium, non antecedenter, sed consequenter aliud decretum effectus, quod non sit antecedens effectum, & tenens se ex parte conditionis, sed sit consequens conditionem, & tenens se ex parte effectus, imò hoc ipsum etiam concedit Faber, n. 27. in fine, dum ait, futurum conditionatum non esse scibile certissime, nisi post decretum sequens, quod ponitur, non ut faciat scire, sed ut faciat scire certum, in aliter; nescio ergo cur postea n. 46. & 47. tale decretum neget, sive antecedens scientiam conditionatam, sive consequens; & quæ ratione dicat, totum fundamentum nostrum esse quod voluntas non se determinet, sed determinetur à Deo, quia hic non est questio de determinatione nostre voluntatis à Deo, sed de determinatione effectus ab ea futuri conditionati; Tum quia nemo unquam negavit ex Scholasticis voluntatem se determinare ad actum suum, unde Thomista quamvis velint, prædeterminationem physicam esse necessarium, ut voluntas nostra ad actus suos se determinet, non tamen negant quod seipsam quoque determinet ad agendum, licet hoc non agat nisi mota, & prædeterminata à prima causa; unde conclusio ab hunc ullo fundameto vocare illud argumentum suū efficax & convincens Adverfatios, & detegens causam erroris ipsorum.

OBIECTIO SEXTA.

Ex absurdis.

Extrò urget Amicus ex absurdis sec. 12. n. 205. & inde. Primò enim sequitur, hæc libertatem nostram, nam creata libertas in hoc essentialiter consistit, ut possit omnibus ad agendum requisitis possit agere, & non agere; sed posito decreto Dei sine prævia scientia effectus sub conditione futuri non est in potestate creaturæ talem effectum agere, & non agere, non enim alia ratione dici potest esse in ejus potestate, nisi dicitur, ideo Deū decrevisse, me cras disputaturū, nisi quia prevideat ante tale decretum, me cras velle disputare, ut certissimi Scholastici interfuero, ergo &c. Secundo sequitur, Deum præfinitur peccata contra Concilium Atracense can. 25. sequela probatur, nā Deus non solum in suo decreto certo cognoscit actus nostros bonos, sed etiam malos, non potest autem certo cognoscere actus malos, nisi illos efficitur prædefinit. Tertio sequitur nō salvati auxilium sufficiens, nam ut hoc sit sufficiens, debet quantum est, de se, reddere subiectum proxime, & moraliter potens ad operandum præbendo in se quicquid per se requiritur ad actum secundum, itaq. negatio actus secundi non proveniat ex defectu alicujus perfectionis per se requisitæ ad illum, sed ex sola libertate creaturæ volentis actu consentire, cum tamen posset si vellet, ex vi talis gratiæ; sequela

quæla probatur; nam gratia efficax in hac sententia physice differt à sufficiente defectu, cuius physice perfectionis reputat gratiam sufficientem habere suum effectum. Demum arguunt alii, quod ad hanc sententiam sequantur omnia absurda, quæ sequuntur contra ponentes decreta Dei absolute antecedentia, virtute quorum causæ liberæ etiam antecedenter physice prædeterminantur in tempore; sequela probatur, quia iuxta hunc dicendi modum non ideo Petrus in hoc rerum ordine constitutus consentiret, vel dissentiret, in quælibet sua libertate consentire, vel dissentiret, sed quia Deus sic præfinit, quod si in tali rerum ordine ponatur, consentiret, vel dissentiret; Ex quo etiam sequitur, Deum esse auctorem peccati, nam si sicut hanc conditionalem, quod si Adam crearetur in tali rerum ordine, in quo de facto creatus est, peccaret, quatenus præfinit decretum suæ voluntatis determinans peccatum illud ab Adam futurum, plane constituitur Deus auctor peccati.

Respondendo negando illa absurda sequi, & quidem ad primū argumentum ex libertate deductum satis dictum est n. 137. & 195. & toto art. 8. precedenti quo, etenim ex ibi dictis decretum Dei à nobis non ponitur antecedens, sed concomitans, ratione cuius concomitantes effectus ex illo decreto futurus dicitur esse in nostra potestate non secus, ac si præfinitus fuisset ante decretum; & quamvis stante decreto non possit creata voluntas in oppositum, aut actum suspendere, hoc non impedit libertatis usum, quia talis necessitas oritur ex suppositione concomitanti, non vero antecedenti, atquæ deo facit solam necessitatem consequentia, non consequens; addo, divinum decretum ob eandem rationem, quia scilicet concomitans est, non antecedens, non esse de prærequiritis ad agendum, & ad actum primum spectantibus, sed omnino de concomitantibus actionem voluntatis nostre, quia respicit concursum simulaneum, quo in tempore concurrunt nobiscum ad actum nostros liberos, imò est ipsemet concursus Dei simulaneus ab æterno ex hibitus, licet non pro æterno, atque ideo sicut concursus Dei simulaneus in tempore non impedit libertatem actionis, quia eam penitus concomitant, non autem præcedit prædeterminando causam ad illam, ita neque impedit ab æterno exhibitionem Dei decretum. Ad 2. nego sequelam ob exhibitionem adductam num. 196. unde argumentum urget soluta contra Thomist. ponentes decreta antecedentia, & physicas prædeterminationes eis correspondentes, quo sensu loquitur Concil. Atracense, dum statuit, Deum non præfinit peccata, alioquin actum ipsum liberum malitiæ substatum negari nequit esse ab aliquo Dei decreto concomitanti, vel consequenti, ac in ipso certo cognosci, ut futurum, sive absolute, sive conditionate, quod etiam conceptis verbis docuit Suarez l. 1. de scientia futurorum c. 8. in fine. Ad 3. pariter negatur sequela, ad probationem dico, utique in sententia Thomistarum auxilium efficax, & sufficiens physice inter se distingui, & in genere qualitatatis, minime tamen in nostra sententia illa tantum distinguuntur moraliter in genere doni, & beneficii, non autem physice in genere qualitatatis. Ad ultimum tandem negatur etiam sequela cum ejus probatione, nam ut sæpe dictum, cum dicitur, quod Petrus consentiret, vel dissentiret, quia sic præfinitur Deus, hoc non ita intelligimus, ut illud decretum sit antecedens, sed merè concomitans, neque ut quia dicat notam causalitatis, sed concomitantem, unde licet divinum decretum dici possit præfinitio, ut ly præ dicit ordinem æternitatis ad tempus, non tamen est præfinitio secūdi ordinis rationis ad nostram voluntatem, quia est omnino concomitans rationis illius, quare neq. etiam sequitur ex hac nota sententia, Deum esse peccati auctorem, quia ideo ab æterno statuit Adā lapsurum si in tali rerum ordine poneretur, quia Adā lapsurus erat pro sua libertate, non quod hoc prævideret ante decretum; sed ratione prædictæ concomitantia fundatæ in continentia eminenti alii creatæ voluntatis in divina, ratione cuius habet Deus, ut in æternis decretis statuitur circa actus nostros liberos possit coincidere in eandem determinationem, quæ pro nostra libertate facit nisi in tempore, perinde ac si ea prævidisset. Neq. Deus potest hominem in eorum ordine, in quo illum præfinitur peccaturum, peccatorem, sed ut sit uterque liberate imputabiliter operando, quod si peccat, hominis est defectus, & culpam, Dei, qui, quantum est ex se, paratus est antecedenter dare rectitudinē actui, si per hominē non staret, ut ait Doct. 2. d. 37. ad solutionem istorum. Dices, cur Deus non crearet potius Adā in alio rerum ordine, in quo præfinit non peccaturum, si in eo creatus esset? Ad hæc, & similes quæstiones ajebat D. Aug. aliud respondet non posse, quam apud Deum iniquitatem non esse, nec aliud à nobis hominibus de suis instructabilibus arcanis vestigandum esse, unde si Adam cum Deo conquisisset dicendo, cur me creasti

in eo rerum ordine, in quo me peccaturum præfinitur, & non in alio, in quo non peccassem? quid responsum fuisse tribuimus Deū, nisi illud Evangelii? Amice, non facio tibi injuriam, tolle quod tuum est, liberum te feci, in manu consilii tui te constitui; auxilia sufficientia dedi, quibus posses, ac deberes evitare peccatum; si peccasti, tui culpa est, non mei. Postremo quædam alia argumenta contra tamen solvi probant, Deum certo, & infallibiliter cognoscere futura conditionata, & hoc spectare ad summam ejus providentiam, & prudentem gubernationem; minime tamen probant, quod ea cognoscit ante decreta conditionata, quod si aliqua id probant, facile ex dictis diluuntur, primum argumentum tantum adverte sub nu. 7. quod sumit ex proportione inter futura contingentia absoluta, & conditionata, nam quantum ad futuritionem, e jusque causam nequit inter ea disparitas assignari, nisi quod minus futuritio est absoluta, alterius conditionata; sicut ergo præfinitio de decreto antecedente, quia si loquatur etiam de concomitante, est omnino falsum, nam Auctores ejus conforces omnes ad unum admittunt, ut futura absoluta cognoscantur à Deo, opus esse cognoscere decretum divine voluntatis à quo unumquodque futurum est, ut est videre apud Suarez lib. 1. de scientia futurorum ca. 8. in fine; ex quo comūni Adversatiorum doctrina optimè argumentum retroquertis potest in ea proportione fundatum; nam certum est nullam propositionem de futuro contingenti, sive absoluto, sive conditionato habere ex se determinatam veritatem, id est ex natura terminorum, alioquin contingens non esset, sed necessaria, sed eam habet ab aliqua causa extrinseca ejus intrinsecam indifferentiā, & neutralitatem ad alteram partem determinante; ergo sicut contingentes de futuro absolute eam habent à decreto absolute divine voluntatis, tanquam à causa prima, sine quo nihil est absolute futurum, & virtute talis decreti sciuntur à Deo scientia absoluta, ut ait Hilarius c. 6. Trin. que Deus facere decrevit, in sua voluntate cognovit, ita contingentes de futuro conditionato determinatam veritatem habent, & futuritionem à decreto conditionato, & quidem actu existente, ut enim aliquid in aliquo instanti intelligatur determinatè futurum debet intelligi, jam in eo instanti habere esse determinatum ad futuritionem, nec talis determinatio haberi potest, nisi habeat aliquam causam determinativam talis futuritionis actu existentem; Pasolus etiam plura congerit dub. 18. quæ non rām probant scientiam mediam, quam impugnant prædeterminationem physicam.

ARTICULUS QUINTUS.

An scientia conditionata sit scientia media.

Sensus quæstionis est, an scientia futurorum conditionatorum, de qua hæctenus egimus, sit mediā inter scientiam naturalem, & liberam; seu inter scientiam simplicem intelligentiæ, & visionis, & quidem non est questio, an sit media per abnegationem extremorum; quamvis enim assertoribus scientiæ mediæ communiter tribuatur, quod eam de novo invenierint, veluti mediam ab omni alia scientia contradistinctam, tanquam præfata divisio scientiæ Dei in naturalem, & liberam, seu simplicem intelligentiæ, & visionis à veteribus Theologis tradita, & communi calculo recepta non fuerit sufficiens, & ad equata attamen non ita est, quia ut expressè notavit Pasolus dub. 20. num. 480. nullus Theologorum suæ Societatis unquam negavit, præfata divisionem scientiæ esse ad equatam, aut assertit, scientiam conditionatam esse mediam per abnegationem extremorum, sed tantum per participationem extremorum, quantum aliquo modo participat ex utraque patet ex communi explicatione suæ scientiæ mediæ, quam ipsi tradunt unanimiter relata supra nu. 228. & Pasolus ipse probat adducendo præcipuos suæ Societatis Auctores, qui aut ipsam reduxerunt ad scientiam simplicem intelligentiæ, ut Suarez, Valentia, Vasquez, Beccanus, Bellarminus, Lessius, Arrubal; aut ad scientiam quoque visionis, ut Suarez interduum; quod ad notare volui, ut omnes sciant, falsum esse, quod communiter solent Thomistæ Lessius ascribere, quod invenierint quandam scientiam mediam, que tertium membrum constituat omnino distinctam à scientia simplicis intelligentiæ, & visionis, itaut nec ad hanc; nec ad illam pertinet. Notat porro Vulpes pro majori adhuc intelligentiæ quæstio disp.

disp. 31. art. ult. non esse hanc de solo nomine controversiam, ut male opinatus est Suarez in opusculo de hac presentia, sed de re; non tantum inter scholam nostram, & suam, ut visum est, sed etiam inter Scholam Thomistarum; illi enim asseverant, futura sub conditione non dici vere futura, sed precise possibilis, cum comparatione eorum, ut fiant, nullum auxilium efficax decrevit dare Deus causis secundis liberis, a quibus produci possint, ideoque dicunt, nullum esse in re discrimen inter enunciations de futuris sub conditione, de quibus disputamus, ut sunt hae sequentes, si Petrus esset in hoc reum ordine cum hoc auxilio, consentiret; iustus aliquis, si supervixisset, malitia mutasset intellectum ejus; & inter has alias sequentes, si Deus voluisset ab aeterno alium mundum creare, alius mundus futurus esset, si decevissent Demones ad Caeli revocare, revocandi forent, &c. quare sicut enunciations hujus secundi generis dicunt non involvere rationem futuri, sed dici merè possibilis, ita merè possibilis sunt enunciations primi generis, ideoque sicut ille ad scientiam merè naturalem, sive simplicis intelligentie spectant, ita etiam ad eandem spectant scientiam enunciations de effectibus futuris ex hypothese, quod essent in hoc, vel illo rerum ordine cum determinatis auxiliis, & circumstantiis, quamobrem scientiam talium futurorum ad naturalem, sive simplicis intelligentie vocant, tum ex parte principii ea cognoscendi, tum etiam ex parte termini, & non vult appellari naturalem ex parte principii, & liberam ex parte termini, vel objecti, ut opinantur alii Neoterici; ita discuntur Vulpes de opinione Thomistarum circa scientiam conditionalium.

281 Verum quia multum interest, quae & qualis opinio, non solum alicui privato Auctori, sed praesertim inter Scholasticos tribuatur, quoniam juxta Scoti pium documentum debet semper opinantibus imponi melior opinio, quae possit elici ex eorum dictis; Sicut hac de causa seculitas a Thomistis nuper defendit, ita nunc Thomistas a falsa opinione esse imposita a Vulpio vindicare debet; Quamvis enim pauci quidam Thomistae ab initio questionis citati num. 268. negent, scientiam conditionalium esse distinctam a scientia simplicis intelligentie, eo quia putant, conditionalia formaliter, & secundum se non esse certo cognoscibilia sub ratione futuri, sed intrinsece includere imperfectionem objecti opinabilis, & coniecturalis; communior tamen opinio sanioris, & melioris partis Thomistarum admittit in Deo veram, & propriam scientiam conditionalium, quatenus talium, post praescriptions conditionatas, sicut nos facimus, eamque distinguunt a scientia pure possibilium, atque constituunt sub scientia libera, & visionis, ita Alvarez quem Vulpes pro opinione Thomistae ab ipso imposita citat, expresse docet lib. 1. responsum c. 5. in scientiam futurorum conditionalium, quam ponit in Deo post decretum liberum, esse scientiam liberam, & reduci ad scientiam visionis. Nazarius q. 14. art. 13. contrav. 2. §. 6. in sexta impugnatione scientie mediae inquit, omnia futura (exceptis peccatis) divinae voluntatis decreto sunt ab aeterno praesinita, aut simpliciter, aut ex hypothesi, non in communi tantum, sed etiam in particulari, sed ea omnia, quae praesinita sunt, scientia Dei libera cognoscuntur, quae divinae sequitur voluntatis praescriptions, ergo praedicta futura contingentia conditionalia ad scientiam Dei liberam pertinebunt, reliqua vero facta ante libertas Dei praescriptions ad scientiam spectant naturalem; ita ibi, ex qua doctrina elicit postea septimam suam conclusionem, in Deo esse tantum duplex scientia, scilicet naturalis, & libera, quae distinguitur in scientiam contingentium conditionalium nunquam futurorum, & in scientiam visionis, quae est de omnibus quandoque futuris. Sic etiam loquitur Lezana tract. 4. disp. 3. q. 6. citans Cornelio, & Salmaticensis, dum ait, futura conditionata, in quibus conditio habet naturalem, & necessariam connexionem cum effectu futuro, vel necessitate consequentis, ut si Sol luceret dies esset, vel consequenter, ut si Deus voluisset alium mundum creare, alius orbis futurus esset, cognosceat a Deo per scientiam naturalem, & necessariam; futura vero conditionata libera, quae non cognoscuntur ex vi talis connexionis, aut consequentiae, sed ex eo solum, quod Deus determinaverit per suum decretum ita fore, quod posita tali conditione sequatur illud futurum, cognosceat a Deo per scientiam liberam, & visionis; & sic passim loquuntur alii Thomistae; parum ergo condescendat illa opinio Thomistae impingitur a Vulpio.

282 Sed neque magis consulto Suarez redarguit, quod dixerit, hanc esse controversiam de solo nomine, nam per scientiam mediam duo possumus intelligere, vel significare, ut notat Fafol. cit. num. 501. alterum reale, nempe scientiam futurorum conditionalium ante quodcumque liberum decretum divinae voluntatis, sicut ponitur a Neotericiis, & in hoc sen-

su non ait Suarez, esse controversiam de solo nomine, nam questio, qua dilucitur, an scientia Dei conditionata sit ante, vel post decretum, est de re, eaque gravissima: in qua consistit cardo controversiarum hujus saeculi in hac materia, ut constat ex dictis; Alterum quoque possumus intelligere per scientiam mediam esse nominale, nempe scientiam quandam, quae neque sit simplicis intelligentie tantum, aut naturalis, neque visionis tantum, aut libera, sed partim hae, partim illa, sive talis scientia praecedat quodcumque decretum divinae voluntatis, sive non, & in hoc sensu utique dici potest questio de solo nomine, sive de modo loquendi, nam tam apud eos, qui eam ponunt praecedere quodcumque decretum divinae voluntatis, quam apud alios ponentes eam subsequi, quidam eam reducant ad scientiam simplicis intelligentie, quidam vero ad scientiam visionis, quidam tandem contendunt, esse mediam per utriusque participationem, & in hoc sensu dicit Suarez, esse controversiam de solo nomine, seu de modo loquendi, quo etiam pacto dixit Vasquez disp. 67. cap. 4. in fine, hanc esse diffinitionem vocem, & non reum; At tamen quomodo hac questio possit esse de solo nomine, ac etiam aliquo modo de re, mox explicabimus in resolutione quaestio, in quo Vulpes cit. tenet scientiam conditionalium spectare tantum ad scientiam visionis; Faber vero disp. 55. ad scientiam tantum simplicis intelligentie.

283 Pro cuius resolutione notandum est, praefatas divisiones scientie divinae in scientiam simplicis intelligentie, & visionis, ac etiam in naturalem, & liberam, in uno sensu coincidere invicem, in alio sensu non; nam si per scientiam simplicis intelligentie eam intelligamus, quae antecedit quodcumque decretum divinae voluntatis, sive absolutum, sive conditionatum, ac proinde necessitate Deo convenit; visionis vero eam dicamus, quae omnino divina decreta subsequitur, sive absoluta, sive conditionata, ac proinde convenit liberis; juxta hanc explicationem praefatae divisiones omnino coincidunt; Si vero eam explicemus, juxta morem antiquorum Theologorum, qui eam considerant solum per ordinem ad creaturas, vel possibilis, quam dixerunt scientiam simplicis intelligentie, vel absolute futuram, quam dixerunt visionis, sumpta metaphora ex visione corporali, quae ad rem ipsam existentem in se terminatur non comprehendendo conditionate futuras, de quibus nullam, vel rarissimam fecerunt mentionem; in hoc quidem sensu non coincidunt, nam scientia libera latius patet, quam scientia visionis, ut notavit Nazarius loco citat. nam scientia visionis supra scientiam liberam addit existentiam actualem rei in rerum natura aliquando futuram, unde omnis scientia visionis est scientia libera, quia est post omnia decreta divinae voluntatis, tam conditionata, quam absoluta, sed non omnis scientia libera est scientia visionis, quia scientia futuri conditionati est utique libera, cum a nobis ponatur subsequi decreta conditionata, sed non est visionis, quia futurum conditionatum, quod est ejus objectum, non includit existentiam actualem aliquando futuram quam includit futurum absolute, quae ratioe Scotus 3. d. 14. q. 2. §. contra rationem huius positionis scientiam conditionalium revocat ad scientiam simplicis intelligentie, quia, inquit, intellectus animae Christi potest cognoscere in Verbo aliquod possibile futurum nunquam futurum, quod possibile conditionatum nunquam futurum ait, non pertinere ad scientiam visionis, quae est tantum respectu habentium existentiam in aliqua parte temporis, sed ad scientiam simplicis intelligentie, quae extenditur ad omnia, quae nunquam erant, sive sint pure possibilis, sive etiam futura sub aliqua conditione, quae nunquam liquidabitur, & sic etiam loquitur D. Thom. de scientia simplicis intelligentie, & visionis p. 1. q. 14. art. 3. ac passim alii veteres Scholastici, juxta quam explicationem; ut dixi, scientia libera latius patet, quam scientia visionis.

284 Dicendum est itaque, quod sumendo divisionem scientie in simplicem intelligentiam, & visionem primo modo, ut nempe omnino coincidit in naturalem, & liberam, scientia conditionalium non est media, nec per abnegationem extremorum, nec per participationem, sed solum est scientia visionis; si vero sumatur secundo modo, prout scientia visionis minus patet, quam scientia libera, ita dici potest scientia media per extremorum participationem, licet magis participare videatur de ratione scientie simplicis intelligentie, ut notat Scot. 3. d. 14. q. 2. & in hoc sensu est questio de solo nomine, ac de modo loquendi; Conclusio sequitur ex proximè dictis, & probatur quod omne partes.

Primo quidem, quod sumendo divisionem illam primo modo, scientia conditionalium non fit media, nec per abnegationem extremorum, nec per participationem extremorum probatur,

quia divisio scientia Dei in scientiam simplicis intelligentie, & visionis primo modo intellecta datur per membra contradictoria, sed inter contradictoria nullum datur medium, nec per abnegationem extremorum, nec per participationem eorum, ergo &c. probatur major, quia in eo sensu scientia simplicis intelligentie coincidit cum scientia naturali, quae antecedit omne liberum decretum divinae voluntatis, tam absolute, quam conditionatum, & scientia visionis coincidit cum scientia libera, quae subsequitur decreta divinae voluntatis, & quae subsequitur decreta conditionata, & non ultima, dicitur scientia libera conditionata, quae vero subsequitur decreta absoluta, & ultima, dicitur scientia libera absoluta; sed inter scientiam naturalem, & liberam in hoc sensu, non datur medium, quia antecedit decreta divinae voluntatis, aut non antecedit, sed subsequitur, si antecedit dicitur naturalis, si non antecedit, sed subsequitur, dicitur libera; inter antecedere autem, & non antecedere decreta nullum datur medium; ergo, &c. Quod vero sumendo divisionem illam in eodem sensu scientia conditionalium sit solum scientia visionis, probatur ex hoc eodem capite, quia scientia visionis in hoc sensu convertitur cum scientia libera, quae sequitur divina decreta, sed scientia conditionalium sequitur divina decreta conditionata; ergo nullo pacto dici potest in hoc sensu scientia simplicis intelligentie, sed omnino est scientia visionis.

285 Instabit cum Fafolo loc. citat. scientia Dei specificatur saltem secundum quid ab objecto eam secundario terminante, at futurum conditionatum objective mediat inter scibile merè possibile, & scibile absolute futurum; ergo scientia ad illud terminata erit media, & non solum visionis, probatur minor, etenim futurum conditionatum, & est aliqua vera ratioe futurum, in quo convenit cum futuro absoluto, & discrepat a futuro absoluto, & convenit cum puro possibili, habet igitur participationem communem cum futuro absoluto, & possibile, ut ad futurum absolute absolutum habet communem cum puro possibile, ergo includitur in utroque ergo scientia de futuro conditionato participat aliquam rationem simplicis intelligentie, & scientie visionis, quia ex participatione objectum oritur participatio scientiarum. Respondeo, argum. tum probare tantum alteram partem conclusionis, quod scilicet accipiendo scientiam visionis ut minus patet, quam scientiam liberam, scientia conditionalium est media inter scientiam simplicis intelligentie, & visionis; non tamen probat, quod accipiendo scientiam visionis, ut convertitur cum libera, scientia conditionalium sit media inter utramque, nam sicut hoc modo scientia immediate dividitur in scientiam simplicis intelligentie, sive naturalem, & visionis, sive liberam, tanquam in membra contradictoria adaequate sumpta, quatenus una antecedit decreta libera, alia vero non, sed subsequitur; & quae subsequitur conditionata decreta, sive non ultima, dicitur scientia conditionata, quae vero subsequitur ultima, dicitur absoluta; ita juxta eundem sensum scibile secundarii comparatione divinae scientie immediate dividitur adaequate, tanquam per membra contradictoria, in praesens formaliter possibile ex natura rei, quod est objectum scientie simplicis intelligentie, sive naturalis, & in praesens futurum ex extrinseca determinatione suae causae, quod est objectum visionis, & hoc deinde subdividitur in futurum absolute, & conditionatum juxta exigentiam absolute, vel conditionate determinationis suae causae. Dices, futurum conditionatum esse veritatem ante, vel post decretum, nunquam includit in se actualem existentiam, & praesentiam aliquando futuram, quae essentialiter includitur in objecto scientie visionis, ergo ex hoc, quod scientia conditionata effectuum liberorum sequatur decreta conditionata, probatur solum, hujusmodi scientiam habere unam, eamque praecipuum conditionem scientie visionis, non tamen, quod habeat omnia necessaria ad visionis scientiam constituendam, cum illi desit praedicta actualitas essentialiter inclusa in objecto scientie visionis, & ideo non sequitur, esse partem scientiam visionis.

286 Respondeo negando consequentiam quoad ultimam partem, quia ea actualitas existens aliquando futura non est conditio requisita ad objectum scientie visionis primo modo inspecte, prout convertitur cum libera, sed tantum secundo modo juxta acceptionem veterum Scholasticorum, sed conditio ejus primo modo inspecte est illa praesens, quod sequatur decreta divinae voluntatis, & non ea antecedit; Potest etiam ulterius dici, etiam creaturas, ut actu futuras sub conditione, habere sub conditione aliqua actualitate in seipsis extra causas sibi proportionata, quo pacto scientia de futuris conditionatis erit totaliter distincta a scientia simplicis intelligentie, pure spectabit ad scientiam visionis, ut concedit ipse quoque Fafolus dub. 20. cit. n. 483. quae in hoc sensu prius explicanda erit ge-

nerice per scientiam creaturarum, ut actualium in se extra causas, deinde subdividenda in scientiam visionis absolute de actualibus absolutis, & in scientiam visionis conditionata de actualibus conditionatis, quo etiam pacto divisio in scientiam visionis, & simplicis intelligentie est adaequata, & tradita per membra contradictoria.

287 Deinde inquit Fafolus num. 490. & 492. argumentum nostrum ex contradictoriis deductum solum concludere de libero, & naturali secundum quid, hoc est, respectu subjecti, non autem de libero, & naturali simpliciter, hoc est, tam respectu subjecti, quam respectu objecti, unde in argumento diminute consideratur solum una ratio naturalis, & liberi, nempe ex parte subjecti, in quo sit, vel non sit liber, voluntatis actus; quare si scientia antecedit omnem divinam voluntatis determinationem, bene dicitur naturalis, nempe secundum unam rationem, quae est ex parte subjecti, sed male inde deducitur absolute, nulla ratione esse liberam, quia praeter unam rationem liberi ex parte subjecti, dari potest alia ratio liberi ex parte objecti; quae responsio fundatur in sua explicatione scientie mediae superius adductae num. 228. dicitur enim, esse naturalem ex parte subjecti, quia non potuit Deus ea credere, cum non pendeat ex aliquo ejus decreto, sed omne decretum antecedit, dicitur vero libera ex parte objecti, quia est de objecto libero, & contingenti, libertate dependente a voluntate creata, nempe de effectu liberi, sed cum conditione ab ea futuro; Quoniam igitur scientia futurorum contingentium conditionalium ex parte subjecti non est libera, sed naturalis, ex parte objecti non est naturalis, sed libera, ideo concludit, recte a suis Theologis nuncupatam esse mediam, etiam inter scientiam naturalem, & liberam. Hec tamen doctrina ex jam dictis falsa omnino deprehenditur, cum enim ostensum sit, scientiam conditionalium in Deo dari post decreta divinae voluntatis conditionata, & nullo modo antea, nisi in ratione pure possibilium, sequitur manifeste, esse scientiam adaequate liberam, tam ex parte subjecti, nempe Dei scientis, qui sicut potuit aliter determinare conditionate, ita, & aliter praescribere conditionate, tam etiam ex parte objecti, nempe futuri conditionati, quod ratione suae contingentiae, quantum est de se, est ad utrumque indifferens, unde factum est, in argumento diminute considerari rationem naturalem, & liberi, nempe ex parte subjecti, in quo sit, vel non sit liber actus, nam omnino consideratur adaequate, tam ex parte subjecti, quam ex parte objecti, & ex utroque capite scientiam conditionalium dicimus, esse liberam, & nullo modo naturalem. Tum quia dicitur, scientiam conditionalium esse necessariam in Deo, & liberam tantum ex parte objecti, quatenus potuit oppositum scire, quia liberum arbitrium creatum potest oppositum facere, est constituere scientiam Dei liberam (eo modo quo potest actu intellectus adaptari libertas, nempe per extrinsecam denominationem) omnino dependenter a libertate creatae, ita in determinatione effectuum ab utraque causa prima nempe, & secunda procedentium, creata voluntas sit primum liberum, & divina secundum, quatenus divina non se determinaret ad illum effectum producendum, nisi prius se creata determinaret, ac ejus determinationem Deus praevideret. Tum quia si dicant, hoc non sequi, quia quodcumque futurum etiam conditionalium essentialiter dependet a voluntate divina, & ejus decreto saltem conditionato ex parte actus, praeterquam quod dependentia futuri a decreto sic conditionato ex parte actus non sufficit ad salvandam talem conditionem, quia conditio cadens super actum immediate nihil ponit in esse, nec absolute, nec conditionate, ut probatum est art. 2. sic respondendo non satis sibi constant, quia sic dicendo, scientiam conditionalium in Deo non naturalem, sed liberam quoque ex parte subjecti, scilicet Dei scientis adstruerent, atque ita media non esset, ut ipsi praetendunt, inter naturalem, & liberam.

288 Altera pars conclusionis, quod scilicet accipiendo scientiam visionis, ut minus patet, quam scientia libera juxta veterum Scholasticorum acceptionem, possit scientia conditionalium, dici media inter scientiam simplicis intelligentie, & visionis probatur ratione tacta, in objectione facta contra primam conclusionis partem nu. 285. nam futurum conditionatum scientie conditionate objectum, quatenus est aliqua vera ratioe futurum, convenit cum futuro absoluto, quod est scientie visionis, & absolute objectum, & discrepat a puro possibili, quod est objectum simplicis intelligentie, quatenus vero non est absolute futurum, discrepat a futuro absoluto, & convenit cum puro possibili; in ergo utriusque objecti rationem participet, participabit etiam aliquam rationem scientie simplicis intelligentie, & scientie visionis. Confirmatur, quia futurum conditionatum objective mediat inter scibile merè pos-

possibile, & scibile absolute futurum; ergo constituit scientiam aliquo modo mediam inter scientiam simplicis intelligentie, quatenus hæc est pure possibile, & scientiam visionis, quatenus hæc est præcise futurorum absolute; consequentia patet, quia ex participatione objectorum oritur participatio scientiarum; probatur assumptum, nam tam possibile erat poenitentiam Tyrionum, quam Benefactorum, & tamen illa, & non hæc fuit conditionata futura, ergo futuri conditionata aliquid addit supra purum possibile; deinde poenitentia Tyrionum licet fuerit conditionata futura, non tamen absolute, quia nunquam fuit, ergo futuri absolute aliquid addit ultra conditionatam; ergo futurum conditionatum verè mediatur inter purum possibile, & inter absolute futurum. Quod verò in hoc sensu etiam adhuc magis participet de scientia simplicis intelligentie, ut aiebat Scotus 3. d. 14. qu. 2. probatur ex eodem objecto scientie conditionate, cum enim futurum conditionatum in nulla temporis differentia sum esse actualiter in se absolute habeat, sed posse habere, plus habet de possibilitate, quam de actualitate, ac proinde est magis affine, ac propinquum enti possibili, quod est objectum scientie simplicis intelligentie, quam enti actuali, quod est objectum scientie visionis. Tandem, quod ponere, vel non ponere scientiam conditionalium sic mediam sit questio de solo nomine, & modo loquendi, probatur ex dictis num. 282. quoniam questio de se est, an scientia conditionalium sic ponenda sit media inter naturalem, & liberam, ut antecedit libera decreta divina voluntatis, ita ut sit libera solum ex parte objecti, & termini, naturalis verò ex parte subiecti, & principii, in quo sensu negamus omnino, scientiam sic mediam appellari posse; Supposito verò, quod scientia conditionata sequatur libera Dei decreta, disputare, an possit dici quodammodo media inter scientiam simplicis intelligentie, & visionis per participationem extremorum modo iam explicato est; contentatio de solo nomine, & tantum ad modum loquendi spectans, quia iam in re convenimus, quod sit scientia omnino libera, tam ex parte objecti, quam subiecti, & quod decreta conditionata supponat.

288 Porro nonnulli nimis scrupulosi Thomistæ nomen etiam

solum scientia media abhorrentes, probant in nullo penitus sensu hæc esse possibile, eo quia inter purum possibile, & simpliciter futurum nullum dari potest medium, ita Crabera tom. 1. in 3. part. quest. 1. art. 3. disp. 1. §. 22. Verùm in relectione contra scientiam mediam, Rispolus, & alii apud Fasolum cit. quod probant, quia conditio de possibili addita impossibili non extrahit a ratione impossibilis, ut si Chimera esse animal, esset sensitiva; ergo similiter conditio de futuro addita possibili non extrahit illud a ratione possibilium ad ordinem futurorum, Tum 2. quia futurum conditionatum non habet majorem propinquitatem ad actualem existentiam, quam habeat possibile, alioquin conditio poneret aliquid in esse. Tum 3. conditio de impossibili addita possibili non minuit possibilitatem, ergo neque conditio de futuro addita possibili conferret ullam futuriorem. Tum tandem, quia futurum conditionatum nunquam erit, sed poterit esse, si ponatur conditio; ergo est possibiliter futurum, ergo tantum esse cognoscibile in ratione possibilis per scientiam simplicis intelligentie.

Respondeo negando, inter purum possibile, & simpliciter futurum nullum posse dari medium modo prædeclarato, ad primam probationem negatur consequentia, cum adit manifesta dispersitas, nam impossibile nunquam transire potest ad statum possibilium, ad possibile transire potest ad statum, sed futuri absolute, sed etiam conditionate, ut dictum est de poenitentia Tyrionum. Ad 2. negatur assumptum, & ad probationem dicendum, conditionem nigram aliquid ponere in esse absolute, bene tamen in esse conditionato. Ad 3. negatur paritas, constat ex dictis ad primam. Ad ultimam primò negatur assumptum, quoad secundam partem, quia si ponatur conditio, futurum conditionatum non solum poterit esse, ut assumitur in argumento, sed etiam de facto erit; Deinde negatur prima consequentia, quia futurum conditionatum est utique possibiliter futurum absolute, non tamen possibiliter conditionatum, imò actualiter de præfenti habet futuriorem conditionatam per totam æternitatem, acque idem non tantum est cognoscibile sub ratione possibilis per scientiam simplicis intelligentie, sed etiam per scientiam conditionatam quodammodo mediam inter scientiam simplicis intelligentie, & visionis.

DISPUTATIO IV. DE DIVINA VOLUNTATE

QUESTIO PRIMA.

An, & quomodo Deus velit creaturas possibilis, & actuales.

Ita creaturas actuales, & futuras certè esse, Deum verari per actum liberum, & efficacem sive divinæ voluntatis, quatenus de statu metè possibile illas ex trahens destinata actu efficaci ad realem, & actualem existentiam in aliqua differentia temporis futuram, quod & proportionate servata etiam de rebus conditionate futuris affecti debet ut constat ex ultima q. disp. præcedentis; est de fide ex illo ad Ephes. 1. Omnia operatur secundum consilium voluntatis sue, ratio est, quia nihil assignari potest ex parte creaturarum, quod moveat Deum necessariò ad productionem illarum, cum sint finitè bonitatis, neque ex parte operantis comparatione objecti creati ad produendum illud, unde habemus in Scriptura, quod ex mera ejus libertate distulit reum creationem post eternitatem Genes. 1. In principio creavit Deus Cælum, & Terram, & Deum agere liberè, & contingenter ad extrà, jam demonstravimus disp. 8. Phys. q. 1. art. 2. & disp. 7. de anima q. 3. art. 1. ita tandem intelligendum est, voluntatem Dei esse liberam ad produendum hanc, vel illam creaturam, ut tamen non possit in tempore incipere velè productionem creaturæ, sed ab eterno id debuerit determinare, cujus rationem jam assignavimus supra disp. 2. q. 3. art. 2. in qua etiam questione art. 1. declaravimus, quid sit libera Dei volitio ad extrà, & quid superaddat actui necessariò, quæ ardua difficultas licet hic tractari solet, ut in proprio loco, tamen omninò necessarium judicavimus illam ibi præmittere ad declarandam Dei immutabilitatem, tam physicam, quam moralem; Dubitari tamen hic solet, an rectè dici possit, Deum contingenter velè effectus, quos liberè producit, & Scot. quidem ita loquitur 1. d. 39. quem accitè reprehendit Cajet. p. 1. q. 19. art. 3. immeritò tamè, cum Scot. ibid. in

sine distinctionis declarat se locutum non quidem de contingentia privativa, & secundum quid, qualis convenire potest etiam cause naturali, quatenus potest impediri a suo effectu naturali ab alia causa efficaci; sed de contingentia simpliciter, & positiva, quæ ortu dicit ex intrinseca perfectione causa in sua potestate habentis actum, vel effectum productum, ad eum illum ponere possit, vel non, ut liber, quo pacto contingentia coincidit cum libertate, & indifferentia in modo agendi, quæ solum causis liberis est propria, ut etiam bene notatur Suarez, disp. 30. Met. sec. 16. n. 43. Vasq. p. 1. disp. 79. c. 3. n. 16. & alii, qui eodem modo citant omnem scrupulum cum Scot. loquuntur, de quo nam dixi disp. 6. Met. q. 6. art. 2.

Circà verò creaturas posibles est major difficultas, an circà eas liberè veretur, num potius necessariò saltè simpliciter affectu complacentiam volendo nimirum præcise, & approbando earum possibilitatem absque ullo ordine ad actualem existentiam, nam talis ordinatio fit solum per actum efficacem; & questio esse potest de necessitate, tam quoad specificationem, quæ quoad exercitiu; illa dicitur, quando quis ita amat objectum, ut nequeat illud odiosè prosequi, si velit circà, illud operari; hæc autè necessitas dicitur, quoad exercitiu; quando determinat ad operandū, ita ut solum moveat ad speciem actus, si agens velit operari, sed non determinat ad exercitiu; operationis. Prima, sententia omninò negativa asserit, Deum nullo modo amare, aut velè creaturas posibles loquendo de illis, non quod prout habent esse in Deo, aut quatenus in illo emittentur continentur, sed de illis secundum se, & in esse objectivo consideratis, quo sensu tantum movetur questio, quæ tribuitur Alesi p. 1. q. 34. memb. 4. D. Thom. p. 1. q. 19. art. 3. D. Bonav. 1. d. 45. art. 1. quest. 2. & sequuntur Salamancaenses hic, & Ferr. 1. contra gentes cap. 81. & lib. 4. cap. 1. ex quo inferunt, Deum non esse omnivolentem, sicut est omnipotens, nam omnipotens dicitur respectu omnium rerum possibilem, eo quod omnia possibilia producere potest, volens autem solum dici-

dicitur respectu futurorum juxta illud Psalm. 13. Omnia quæcumque voluit fecit. Opposita sententia omninò affirmativa asserit, Deum simpliciter affectu complacentiam necessariò diligere creaturas posibles, tam necessitate specificationis, quam exercitiu; quæ omnes res Recentiores amplectuntur Cajet. 1. p. qu. 34. art. 3. Vasquez disp. 79. c. 2. Suarez par. 1. lib. 1. de attributis positivis c. 6. & de Trin. lib. 11. c. 2. in fine, Ruiz de voluntate Dei disp. 6. qu. 1. Beccanus par. 1. tr. 1. c. 11. qu. 3. Turian. opus. 5. disp. 1. de voluntate Dei dub. 4. Fasolum 1. p. qu. 19. art. 3. dub. 2. Arriaga disp. 24. sect. 6. & ex nostris Vulpes tom. 2. par. 1. disp. 43. art. 3. & Smissinch. tr. 3. disp. 3. qu. 3. Rada tom. 1. cont. 11. concl. 1. Basol. 1. d. 45. qu. 2. ar. 1. Averfa q. 19. sect. 5. & alii passim. Tertia opinio est media, asserit contra primam, creaturas posibles diligere a Deo affectu simplicis complacentiam, non tamen necessitate, sed liberè saltè quoad exercitiu; ita Banney art. 3. cit. Fedel ibid. & Molina, Valent. p. 1. disp. 2. qu. 8. & alii quamplures. Alii tandem distinguunt, & dicunt de creaturis posibles, ut sunt extra Deum, nos loqui posse dupliciter, primò quatenus habent connexionem cum Deo, & ejus omnipotentia, ac scientia; secundò quatenus considerantur præcise in seipsis sine predicta connexionem; & quidè primò modo considerat inquantum amati a Deo amore necessariò, quo seipsum amat, & suam omnipotentiam; ad secundum modo inspectas amore libero saltè quoad exercitiu; & etiam addunt nonnulli quoad specificationem, ita Lezana tr. 4. disp. 4. qu. 6. & quidem Auctores secundæ sententie, cum asserunt, creaturas posibles a Deo amari necessariò, affectu simplicis complacentiam loquuntur de ipsis primò modo consideratis, quatenus necessariam habent connexionem cum ejus omnipotentia; pro resolutione questu.

ARTICULUS PRIMUS.

Resolutio Questu.

Dicendum est primò contra primam sententiam, Deum posse amare, & de facto amare creaturas posibles affectu simplicis complacentiam. Hæc est Scoti 3. d. 32. quest. un. §. hic sunt tres, quam probat, quia sicut omnis intellectus potest in quodlibet intelligibile, ita omnis voluntas in quodlibet volubile, igitur voluntas divina potest diligere omnia diligibilia a se; in qua ratione supponit Doctor, creaturas posibles habere necessariam, & sufficientem bonitatem, secundum quam terminare possunt simplicem affectum divinæ complacentiam; sed quamvis Doctor id tanquam certum supponat, quia tamen à prima opinione expressè negatur, probatur, quia bonum, sicut verum, est passio entis; sicut ergo creaturæ posibles, quia sunt entia possibilia includunt, & important veritatem, ratione cuius cognoscuntur a Deo, ita & bonitatem ratione cuius possunt amari ab ipso saltè affectu simplicis complacentiam. Tum quia creaturæ posibles, quamvis non important existentiam, important tamen naturam, quidditates, & essentias rerum, quatenus abstractant ab actuali existentia; sed hæc necessariò bonitatem important, quia bonitas præcipue sequitur ipsam rei entitatem, non autem existentiam, quæ est solum modus intrinsecus ipsius entitatis, & aliàs dicendum est, creaturas secundum suas essentias, & naturas non esse bonas, ergo creaturæ posibles includunt bonitatem, ratione cuius amari possunt a Deo. Tum quia creaturæ posibles, etsi in statu possibilitatis nullam in seipsis actualem includant entitatem, atquidè nec actualem bonitatem, tamen possunt illam habere, & secundum hanc realem entitatem, & bonitatem, quam possunt habere, & participare à divina essentia terminant actum divinæ complacentie, sicut enim sæpius dictum est disp. præced. hoc esse possibile, quod habent creaturæ ab æterno, non est aliquid esse rationis, aut sic, sed est verum esse reale nominaliter, ratione cuius ens reale primò distinguitur à signatis, & rebus impossibilibus, quibus reputari habere esse in reum naturam; quod esse est subiectivè, & realiter sit ipsum esse increatum, cognitionis divinæ illud representatis tamen objectivè est ipsi esse creati, quod participare possunt creaturæ in seipsis extra Deum. Tum quia creaturæ posibles sunt esse, & quod ex se habent, & solum differunt, quod sit actualem existentiam includunt, quæ non includit illæ; ergo si creaturæ existentes includunt bonitatem, ratione cuius a Deo amari possunt, & de facto amantur, etsi, & posibles, & hoc est, quod ait Doct. loc. cit. possibilia ostendit ab intellectu divino habere tantam bonitatem, sicut illa, quæ diligit Deus dilectione efficaci, & idè esse posse objectum ejus amoris. Sed dices, quod tunc divina voluntas diligeret contraria, quia utrumque; habet rationem diligibilis. Respondet Doctor, id esse concedendum de se in naturis, quæ sunt contraria, non tamen di-

ligit ea simul eidem susceptivo, quia hoc non est diligibile. Quamvis autem Doctor hoc in loco asserat, divinam voluntatem amare creaturas posibles affectu simplicis complacentiam, non tamè asserit, illas amare necessariò quoad exercitiu; ut ajunt Vasq. Vulpes, Smissinch. & alii, imò potius immediate post se, ex isto sequitur, indicat, non esse volitionem necessariam, inquit enim, quod nihil aliud a Deo in quocumque esse est se necessariò, igitur nullus respectus ad quocumque esse est a Deo in quocumque esse est necessarius simpliciter, unde concludit, quod prædictus complacentie actus, prout dicit respectum, sive habitudinem ad creaturas posibles, non habet tantam necessitatem, quantum habet prout dicit habitudinem ad ipsam incretam Dei bonitatem, atquæ non sic necessariò amare creaturas posibles, sicut seipsum; quia ratione excluditur modus dicendi illorum, qui asserunt Deum amare necessariò creaturas posibles, quatenus habent necessariam connexionem cum ejus omnipotentia, quæ sine creaturis possibili bus subsistere nequit; cum enim Deus, & creaturæ in esse possibili non sint equalis necessitatis, quia necessitas creaturæ etiam in tali esse est adhuc participata, ac deperdit, nequit Deus, nec illa perfectio in ipso exilis ita creaturam coexistere in quocumque etiam possibili sine ipsa existere nequeat, nam sicut necessarium non dependet in suo esse a contingenti, ita neque magis necessarium à minus necessariò, quia ratione etiam probat Doctor 1. d. 30. qu. 2. Dei ad creaturam nullam dari realem relationem etiam transcendentalè, ut dicitur est disp. 8. log. q. 5. art. 1. num. 95. Idem aperte docet 1. d. 10. qu. G. N. & O. nam ibi rationem assignans, cur Deus necessariò seipsum amet, ait, hanc necessitatem oriri, & ex infinitate potentie, & ex infinitate bonitatis objecti, & neutram sine altera sufficere, quia nec voluntas creata necessariò inevitabiliter diligit Deum etiam clarè visum, nec Deus necessariò amat creaturam, quia in quocumque esse consideretur semper ejus bonitas finita est; unde inquit litret. N. necessitas dilectionis Dei circa seipsum, est ex infinitate voluntatis, & ex infinitate bonitatis objecti, quia neutrum sine altero sufficit ad necessitatem; & paulo infra subdit, non est autem, ita quando voluntas infinita respicit bonum amabile finitum, quia licet ibi actus sit infinitus, quantum est ex parte voluntatis divinæ, non tamen est infinitus, quantum est ex parte objecti; ex quo diflicite manifestè colligitur, Doctorem sentite Deum non amare creaturas in esse posibles necessariò simpliciter affectu complacentiam; idem tandem colligitur ex 1. d. 39. §. quantum ad secundum ubi ait, quod voluntas divina nihil aliud respicit necessariò pro objecto absentia sua, & sic patet loquitur S. d. 1. q. 1. art. 2. & 2. d. 30. §. sed ista questiones.

Nihilominus, quod Deus amet necessariò creaturas posibles affectu simplicis complacentiam, deducitur ex Scoto quod 16. art. 1. in fine, quia locus communiter citatur à Scotistis ubi habet, quod loquendo de necessitate inevitabilitatis, potest dici, quod licet necessariò voluntas divina habeat actum complacentie respectu cuiuscumque intelligibilis, in quantum in illo ostenditur quædam participatio bonitatis propriæ, tamen non necessariò vult quodamque creaturæ volitione efficaci, ac etiam ex his 1. d. 8. qu. 8. igitur potest, ubi ait, igitur potest necessariò complacere in ostensio non volendo illud esse. Sed ut ingenue loquat, etiam ex his locis potius oppositum deducitur, nam in illo eodem quod 18. art. 2. Maffignans rationem, cur divina voluntas amet necessariò divinam bonitatem, hanc assignat, quod voluntas infinita necessariò habet actum circa objectum infinitum, quia hoc est perfectio, & paritatem, non necessariò habet actum circa objectum finitum, quia hoc est imperfectio, nam imperfectio est necessariò determinari ad prius, & perfectionis concomitantis ad illud, quod est simul naturæ, que ratio concludit, ut patet tam de creatura in esse est objectum finitum, & posterius voluntate divina; Quare cum in fine primi articuli dixit relata verba, perfectio oppositum asserit non intellecti, alioquin statim sibi contradiceret, sed solum probare intendit, quod in eo articulo probandum propoferat scilicet divinam voluntatem necessitariò simpliciter ad volendam propriam bonitatem, & inquit quasi occurrentes tacite objectioni, quod licet necessariò voluntas divina habeat actum complacentie respectu cuiuscumque intelligibilis, hoc non debet intelligi de objecto creato, & finitum in se absolute confederato, sed in quantum in illo ostenditur quædam participatio bonitatis propriæ. Qui amor verè, & proprie loquendo non tam est amor creaturarum in seipsis, quam proprie bonitatis Dei, quatenus ab eis participat. Idem adhuc evidentiùs significat 1. d. 8. q. 5. quamvis enim ibi principaliter probare intendat, divinam voluntatem non necessariò velle creaturas in esse actualem volitione efficaci contra Phylosophos, tamen rationes ejus æque